DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE JECORIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WHATLEY, A. M.

ANGLUS,

SOC. MED. REG. QUÆ EDINBURGI EST SOCIUS EXTRAORD.

SOC. MED. VAL. THOMÆ GUY, LONDINI,

"ARCADIÆ"QUE ROMÆ,

SOCIUS.

Ἠν ἐξαπίνης πολλὴ γενηται ἣ χολη, ὁ δυναται τὸ ἧπαρ ὁ ανθρωπος.

ΙΠΠΟΚΡΑΤ. Περὶ Νουσων.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

REVERENDO VIRO,

GEORGIO KEMBLE WHATLEY, A. B.

EX COLL. TRIN. CANTAB.

OPTIMO SUO PATRI, AMICO, PRÆCEPTORI,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.QUE

FILIUS.

"*Tibi, chare Pater, postquam non æqua merenti,*
Posse referre datur, nec dona rependere factis,
Sit memorasse satis repetitaque munera grato
Recensere animo fidæque reponere menti."

MILTON, *Sylv.* 2.

THOMÆ MOLISON, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURG. EDIN. SOCIO,

&c. &c. &c.

HUNC LIBELLUM,

OBSERVANTIÆ AMICITIÆQUE PIGNUS,

OFFERT

J. W.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
INFLAMMATIONE JECORIS.

JOANNE WHATLEY Auctore.

PROŒMIUM.

Hic morbus divisus est a Scriptoribus Nosologicis in duas species, quarum alteram Acutam, alteram Longam vocant. In priore, sedes inflammationis putatur esse tunica peritonæalis jecoris, ejusque ligamenta; in posteriore autem, ipsa substantia jecoris, vel, uti dicitur, parenchyma. Altera quoque gravior esse solet, omniaque signa inflammationis evidentius ostendit; altera autem

levior plerumque est, facitque aliquam mutationem, quod ad duritiem magnitudinemque jecoris. Antequam vero de natura signisque morbi proprie dicam, commodum esse videtur, præcipuas causas ejus breviter proponere, atque ita ad signa, reliquaque omnia quæ ad morbum pertinent, ordine procedam.

DE CAUSIS JECORIS INFLAMMATIONIS.

Inter causas prædisponentes hujus morbi, (nam causæ omnium morborum in prædisponentes, excitantesque et proximas, dividi consueverunt), ea conditio corporis enumerari primum debet, qua fruuntur Europæi, qui nuper in æstuosos locos, maximeque in Indiam Orientalem, migrarunt; etsi fortasse hæc conditio non magis a cœli natura oritur, quam a vita luxuriosa, quam plerique advenæ in calidis regionibus sequuntur. Quicquid enim corpus aliis inflammationibus obnoxium reddit, efficit quoque, ut huic potissimum pateat; maxime in calidis locis, ubi jecur non minus morbis opportunum esse videtur,

quam in frigidis pulmo est. Hujus rei explicatio fortasse difficilis est; putatur tamen a quibusdam pendere ex majore copia carbonii, quo sanguis venosus, in locis calidis, oneratur, cumque jecur plus venosi sanguinis, pro rata parte, habeat, quam ullum aliud corporis organon, non absimile esse videtur, jecur magis quam cæteras partes omnibus vitiis objectum esse. Quemadmodum vero sanguis majorem copiam carbonii in his locis quam alibi retineat, explicatur ex minore copia oxygenii, quam homines, non modo in calidis regionibus, sed etiam apud nos in Æstate, consumunt * ; cumque oxygenium, quod per spiritum accipitur, solum vel certe præcipuum instrumentum sit, quo carbonium abstrahitur a corpore, sequitur ut quo minus illius consumitur, eo plus hujus in corpore supersit. Ex iis autem qui Jecoris Inflammatione conflictantur, plerique pleni et robusti sunt, habentque temperamentum corporis quod vulgo sanguineo-choledicum vocatur. Ad hæc, mares sæpius quam fœminæ, hominesque mediæ ætatis sæpius quam admodum ju-

---

* SEGUIN's Experiments.

venes, hoc malo afficiuntur. Ex pluribus militibus qui hujus morbi causis pariter objecti sunt, Doctor GIRDLESTONE reperit tympanistas, maximeque juvenes, ex cæteris militibus, tutissimos semper esse.

At causæ excitantes Jecoris Inflammationis plures sunt. Ex his præcipuæ sunt frigus, maximeque si cum humiditate conjungitur; injuria extrinsecus illata, vel per ictum vel per lapsum, non solum ad ipsum jecur, verum etiam ad caput; neque enim vulgarior causa esse videtur Jecoris acutæ Inflammationis, quam aliquo casu calvaria fracta; idem quoque accidere potest, si caput diu radiis ardentis solis objectum fuerit; vel ex vehementioribus affectibus animi, maxime ex ira subitove gaudio. Reliquæ causæ excitantes dicuntur esse, vehemens diuturnaque exercitatio; potus ardentes, si nimia copia sumuntur, (qua quidem causa nulla est vulgarior); immodicus usus hydrargyri; plurimique morbi alii, inter quos præcipui sunt febres intermittentes remittentesque. Calculi quoque biliarii, si in ductibus biliferis adhærent, Inflammationem Jecoris ex ir-

ritatione movere possunt; diciturque a Doctore CULLEN, Longam speciem morbi non raro Acutam excitare.

DE SIGNIS JECORIS INFLAMMATIONIS.

HEPATITIS acuta collocatur a Cl^mo Doctore CULLEN in classe *Pyrexiæ*, Ordineque *Phlegmasiæ*, atque ita definitur: " Pyrexia, hypochondrii dextri tensio et dolor, sæpius pungens, pleuritici instar, sæpe obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnœa; tussis sicca; vomitus; singultus." Huic definitioni adjecerunt SAUVAGES et SAGAR flavedinem faciei, coloremque luteum urinæ et seri sanguinis eruptionumque quæ super cutem se ostendunt; verum hæc signa, ut quæ rarius accidant, a LINNÆO et VOGEL, velut a Doctore CULLEN, jure omittuntur.

Hic morbus fere, tanquam cæteræ inflammationes, incipit à molestia generali corporis, cum

crebris horroribus. Hos sequitur auctus calor; pulsus frequentior fit, et dolor in dextro hypochondrio sub oram costarum sentitur, qui dolor plurimum intenditur quoties homo in sinistrum latus cubat. Is modo obtusus est, modo pungens; interdumque accedit singultus, cum spiritu difficili et dolente, tussique sicca et crebra; interdum nausea et vomitus, quo materia biliosa ex ventriculo ejicitur. Dolor autem admota manu vehementer adaugetur, extenditurque per pectus ad claviculam scapulamque et humerum lateris affecti. Pulsus validus, durus et creber est. Vultus summam anxietatem ostendit; et, ubi æger dormit, somnia tumultuosa sunt. Cutis arida et aspera est, osque et fauces siccæ, et lingua alba crusta contegitur, quæ, ut procedit morbus, sensim in fuscam nigramve convertitur. Cupiditas cibi nulla est, alvusque fere tarda, et dejectiones, ubi redduntur, albidiores quam pro natura sunt, fereque sine odore; interdum vero diarrhœa biliosa supervenit, cum tenesmo, qua nates aliquando multum exasperantur. Urina rubra est atque parca, diciturque a Rose atque

HENRY *, nullam universum in se continere; verum hoc a SCUDAMORE †, ita negatur ut affirmet etiam plus quam pro natura nonnunquam deprehendi. Interdum post aliquot dies, cutis et oculi pari modo quo in Ictero afficiuntur.

Hæc igitur de acuta specie morbi. Longa autem species non raro diu existit, antequam ullas notas evidentes naturæ suæ ostendit. Sæpe primum quod conqueritur æger est levis dyspepsia; quam sequuntur frequentes eructationes amaræ biliosæque materiæ, cum tussi doloreque capitis. Accedit nunc sensus gravitatis plenitudinisque in situ jecinoris, cum levi dolore, qui post cibum maxime urget, compressioneque intenditur, neque raro ad summum humerum pervenit. Homo quoque commodius cubat in latus affectum. Pulsus crebrior fit; sitis est, cutisque sicca asperaque est, colorque ejus parum sanus est. Dejectiones raro naturales sunt, modo albidæ, modo flavæ et biliosæ, acceditque iis fœti-

* "London Medical Repository," vol. v.

† "Annals of Medicine," vol. ii.

dissimus odor. Urina parca et obscura est, et, ut morbus procedit, vires plurimum franguntur; assidua diarrhœa, cum summo dolore ad imam partem ventris, neque raro plures species hydropis subsequuntur.

DE SIGNORUM RATIONE.

Tussis, singultusque, et difficultas spirandi, quæ in hoc morbo urgent, referuntur aut ad compressionem jecoris, ubi septem transversum descendit, aut ad extensionem inflammationis a jecore, ad idem septum transversum, et ad eam partem pleuræ qua contegitur. Dolor autem, qui ad summum dextrum humerum extenditur, explicatur ex conjunctione nervorum, qui ibi sunt, cum nervo phrenico, qui commercium habet cum jecore per hujus ligamenta, quæ in septum transversum inseruntur. Homo autem eo difficilius in sinistrum latus decumbit quia ligamenta, ubi hoc facit, magis intenduntur. At albus color dejectionum flavedoque cutis et ocu-

lorum tum demum accedunt, cum Inflammatio cavam partem Jecoris afficit, unde tumor ejus ductus biliferos comprimit, icterumque movet; vomitus quoque tum maxime accidit, cum eadem pars inflammatur, ex vicinitate ventriculi, qua hic etiam interdum leviter inflammatur.

DE DIAGNOSI INTER HUNC MORBUM ALIOSQUE SIMILES.

Plures morbi sunt, quîcum Jecoris Inflammatio confundi potest. A Pulmonis Inflammatione, eo maxime discernitur, quod dolor, qui semper eandem sedem occupat, minus pleno spiritu, magis vero compressione, adaugetur; atque adeo quod idem dolor ad dextrum humerum pervenire solet; æger quoque, ut dixi, commodius cubat in affectum latus in Jecoris Inflammatione; e contrario autem res solet se habere ubi pulmo inflammatur. Ad hæc, propriæ sunt priori vitio mutationes, quæ in facie, dejectionibusque, et iis similibus, annotantur. Hic morbus distat a Ventriculi Inflammatione eo quod dolor, non modo

diversam sedem habet, verum etiam minor vomitus urget, minorque irritabilitas est. Præterea desiderat imbecillimum illum pulsum, summamque illam infirmitatem, quibus ventriculi inflammatio cognoscitur. Accidere quidem potest ut spasmi impedimentave ductuum biliferorum cum inflammatione confundantur: cum vero in prioribus febris parum aut nihil sit, remissionesque crebræ accidant, discrimen satis evidens erit. Eadem inflammatio dignoscitur a Rheumatismo vicinarum partium, maxime crebra mutatione sedis, quæ in hoc morbo pæne perpetua est; quinetiam incremento doloris quod percipitur ex levissima quaque mutatione corporis positura.

Inter Longam speciem hujus morbi et Dyspepsiam discernere interdum difficillimum est. Si vero levis dolor jecoris est, cum sensu gravitatis, isque dolor compressione intenditur; si homo difficulter in sinistrum latus cubat; si levis febris accedit, vespereque maxime urget; si faciei oculorumque aspectus parum sanus est, dubitare vix licet quin ille longa inflammatione jecoris laboret.

DE TERMINATIONIBUS JECORIS INFLAMMATIONIS, ET DE CADAVERIS SECTIONE.

Hic morbus plerumque terminatur aut resolutione, aut suppuratione, aut ea duritie quæ vulgo Scirrhus vocatur, aut denique, etsi raro, gangræna. Ex his prima terminatio longe optima est, atque apud nos frequentissima; calidis locis autem res aliter se habet, siquidem ex levissima inflammatione Jecur non raro celeriter ad suppurationem ruit. Quoties vero morbus resolutione finitur, evacuatio aliqua evidens plerumque accidit, aut fluxus sanguinis e naribus, aut diarrhœa biliosa, aut magni sudores, aut urina copiosa et turbulenta. Judicamus igitur hanc incepisse, si tumor dolorque imminuantur, cæteraque omnia signa sensim discedant.

At signa suppurationis hæc sunt. Dolor gradatim levior fit, febris tamen non mutatur; pulsus plenior et mollior est, sensusque gravitatis, cum pulsu, in situ Jocinoris accedit. Quod si superior sive exterior pars Jecoris sedes abscessus

est, tumor manifestus, cum sensu circumfluentis humoris, interdum percipitur, cum horroribus sudoribusque nocturnis, et aliis febris hecticæ indiciis. Interdum vero nullæ externæ notæ abscessus sunt, judicamusque tunc eum situm esse in cava parte Jocinoris; quod ubi accidit, non raro Jecur ventriculo intestinisve adhæret, et pus in has partes effunditur. Ææedem adhæsiones interdum inter Jecur et septum transversum fiunt, atque ita pus in pulmonem effunditur, perque bronchos excreatur. Potest quoque idem pus in ventrem effundi, vel extrorsum spectare, atque ita per parietes ejus erumpere.

Scirrhus quoque, ut dicitur, non rara terminatio Jecoris Inflammationis est, idque maxime in frigidis locis, tum cum remedia inflammationem non satis superaverint. Cognoscitur autem hæc conditio febris remissione, doloribusque lancinantibus, qui compressione multum adaugentur. Tunica conjunctiva oculorum quoque flavescit; scapulæ attolluntur; magna sitis est; alvus tarda, dejectionesque præter naturam albidæ.

Inflammationem jecoris gangræna raro subsequitur, nisi ubi illa acutissima fuerit. Hæc siquando accidit, signa inflammatoria subito discedunt; membra frigescunt; pulsus imbecillus et inæqualis est; accedunt frigidi sudores, cum singultu, et mors cito pede subsequitur.

Post mortem, adaperto corpore, jecur admodum varia signa ostendit, pro modo inflammationis ejusque terminatione.

Si exterior membrana jecoris affecta fuerit, hæc vehementer rubet, vel etiam livet, crassiorque fit quam pro natura. Certæ partes ejus quoque lympha coagulabili conteguntur, conjunguntur-que vicinis organis: secundum Doctorem BAILLIE, ea conjunctio sæpissime fit inter anteriorem partem jecoris et peritonæum quo contegitur. Magnitudo jecoris plurimum variat. Modo ita ampliatur ut totum dextrum hypochondrium impleat, atque adeo in sinistrum multum extendatur; modo vix aut ne vix quidem majus est quam pro natura. Durities quoque jecoris modo major, modo minor est quam esse solet; interdum omni-

no eadem. Quod si suppuratio supervenerit, non raro universum unum locum occupat; interdum plures exigui abscessus formantur, qui modo integro pure, modo corrupta sanie implentur, quæ interdum tam acris est, ut costarum cartilagines, vel etiam ipsas falsas costas, corrodat. Sub scirrho autem modo totum jecur, modo pars ejus afficitur; idemque modo multum ampliatur, modo imminuitur. Cl. Dr Gregory narrat in Prælectionibus suis unum exemplum hujus morbi, in quo jecoris pondus fuit ad octodecim libras; alterum autem in quo vix ad viginti uncias accessit! A Cl. Viris Morgagni et Lind jecur interdum in putrescente conditione repertum est. Vesica fellis quoque aliquando multum ampliatur, felleque nigro impletur; ductus hepaticus autem multum coarctatur, interdumque plane impervius redditur.

DE PRÆSAGIO IN INFLAMMATIONE JECORIS.

Auguramur fore ut hic morbus feliciter finiatur, si æger juvenis est, isque cujus vires non-

dum multum fractæ fuerint; idque maxime, si signa morbi neque gravia sunt, neque diu continuantur, iisque succedit aliqua evidens evacuatio. Rursus si homo provectioris ætatis est, jecurque vel prioribus morbis, vel intemperantia, multum debilitatum fuerit, et signa morbi decem duodecimve diebus parum cedunt, metus est fore ut jecur suppuret; quod ubi accidit, et pus aut in ventrem, aut in pulmonem, effunditur, malum plerumque pestiferum est. Quod si idem pus aut in duodenum descenderit, aut per parietes ventris perruperit, homo ad sanitatem redire potest. Quoties jecoris magnitudo multum mutatur, idemve aut multum indurescit aut mollescit, vel denique structura ejus ullo modo multum mutatur, præsagium infelicissimum est.

DE JECORIS INFLAMMATIONIS CURATIONE.

Curatio hujus morbi plurimum distat, prout species ejus acuta aut longa sit. A prioris igitur curatione incipiam, paucaque postea de posterioris subjiciam.

Summum consilium, in hoc morbo curando, est inflammationem quamprimum superare, atque ita prohibere ne aut in suppurationem, aut in scirrhum, abeat. Ad hoc igitur abstinendum est protinus ab omnibus cibis excitantibus; summaque quiete, et æquali temperie conclavis in quo cubat æger, imprimis opus est. Protinus ab initio morbi autem summum præsidium est in sanguinis missione, cujus copia major minorve detrahi debet, pro corporis habitu vehementiaque signorum. Sanguis autem, non modo ex brachio commode mittitur, sed etiam ex latere affecto per cucurbitulas vel hirudines, quæ priorem modum mittendi plurimum adjuvant, non tamen sic valent, ut possimus his solis confidere. Ad idem consilium fomentis utimur, quæ plurimum interdum prosunt; parique ratione emplastra vesicatoria vehementer laudantur.

Hæc igitur extrinsecus facienda sunt; simulque alvus laxa semper teneri debet per idonea medicamenta, qualia sunt Sales neutrales, Oleum Ricini, Submuriasve Hydrargyri cum Jalapa. Præter hæc, vomitoria remedia initio hujus mor-

bi a quibusdam laudata sunt; ex vehementiore actione tamen quam in musculis abdominalibus movent, verisimile est hæc sæpius nocere quam adjuvare in jecoris inflammatione. Veruntamen medicamenta ex Antimonio, ita data ut fluxum humoris ad cutem moveant, plurimum proficere possunt.

Ex omnibus remediis autem morborum jocinoris, Hydrargyrum præcipuum esse diu putatum est, sic tamen, ut raro detur, nisi posteaquam inflammatio idoneis remediis aliquatenus imminuta fuerit. Si enim ante hoc tempus hydrargyrum datur, vehementiam morbi potius intendit quam imminuit; annotatumque est, in quibusdam exemplis, os non posse affici antequam sanguis missus fuerat. Quantopere vero hæc affectio oris ad morbi curationem pertineat, colligendum est ex scriptis Cl. MACGREGOR, cujus verba subjiciam. "This disease never yields till the saliva flows freely. The explanation of this I do not pretend to give, but the fact is as I state; and it is well known to every man who has practised extensively in India, whenever the gums are hard

and insensible to the effects of mercury, when, instead of salivation, they are red, painful, spungy, or blue, the prognosis is very unfavourable. In ninety-nine such cases out of a hundred we lose our patients." Optimum tempus quo hydrargyrum datur ostendi videtur a Doctore SANDERS, qui dicit sanam conditionem jecoris non protinus resolutionem inflammationis ejus sequi, sed jecur debilitatum relinqui, postulareque excitantes affectus hydrargyri, quo ad pristinam conditionem redeat. Quod ad modum autem attinet quo hydrargyrum datur, potest adhiberi aut per frictiones super situm jecoris, aut forma pilularum ex oxydo vel ex calomelane, cui recte adjicitur paulum opii, ne intestina afficiat.

Quod si morbus remediis non cedit, sed in abscessum desinit, qui foras spectat, debemus ferro pus educere, ulcusque vulgaribus remediis curandum est. Vires hominis liberaliore victu medicamentisque corroborantibus sustinendæ sunt.

In curanda vetusta specie morbi, interdum ad hirudines cucurbitulasque decurrimus; idonea-

que medicamenta sunt hydrargyrum et acidum nitricum, quod in India Orientali a Doctore SCOTT aliisque multum laudatum est, idque maxime si cum acido muriatico conjungitur, et non solum bibitur, sed etiam, modo balnei, adhibetur *. Pariter laudatum est chlorinum, in aqua solutum †; sed alterutri remedio parum hodie confiditur. Necessarii quoque erunt sales neutrales, si alvus astricta est; iidemque si per plures hebdomadas dati fuerint, secundum Cl. GREGORY, multum proficiunt. Si qua vero diarrhœa est, opium recte datur; cibusque esse debet levis, sed satis nutriens; paulum vini quoque non alienum est, quoties pulsum non multum excitat. Exercitatio levis esse debet; reliquaque tota curatio idonea est, qua sanitas quam integerrima servatur, et, si æger in calida regione vivit, neque ibi sanatur, in frigidiorem migrare quamprimum debet.

---

* "London Medical Repository," vol. vii.

† "Medical and Physical Journal," vol. xxxviii.

FINIS.